





B. CHRISTIANI THOMASII ICTI,  
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE ET ELECTORIS  
BRANDENBURGICI CONSILIARII INTIMI ET  
PROFESSORIS IVRIS ORDINARII VNIVERSI-  
TATIS FRIDERIC. DIRECTORIS

TRACTATIO 186  
DE VSV 1735  
IVRIS PATERNI  
ROMANORVM  
SECVNDVM MORES GERMANIAE  
ET  
IVS BORVSSICVM REVISVM.



—————  
*I E N A E,*  
LITTERIS IO. CHRISTOPHORI CROEKERI,  
M DCC XXXV.









## CAPVT I.

# TRACTANS GENERALIA ET STATVM QVAESTIONIS FORMANS.

### S V M M A R I A.

- §. I. Ius parentum in liberos naturaliter non descendit ex iure Victoriae.
- §. II. Nec ex tacito pacto.
- §. III. Nec ex generatione, sed ex alimentatione & educatione.
- §. IV. Solum patri non competit ut putat Hornius.
- §. V. Nec solum matri, ut existimat Hobbes.
- §. VI. Sed utrique, non propter generationem, ad quam concurrunt.
- §. VII. Sed propter alimentacionem & educationem. Explicatur l. 24. ff. d. Stat. hom.
- §. VIII. Cur Romani patri solum illud concesserint.
- §. IX. Explic. §. 2. I. d. P. P.
- §. X. Quid sit in usu esse.
- §. XI. Quo iure Germani usi sint?
- §. XII. Effectus ex naturali obligatione erga parentes venientes?
- §. XIII. Usus actionis de in ius vocando in Germania & Prussia?
- §. XIV. alimentorum & legitima parentibus relinquenda.
- §. XV. Successionis Ascendentium ab intestato in allodialibus.
- §. XVI. In feudatibus.
- §. XVII. Venditionis liberorum.
- §. XVIII. Recensentur effectus ex Iure R.

A 2

§. XIX.



§. XIX. Q. An moribus Germaniae & Iure Prutenico obtineant & decid. §. vi. mul-  
que adicitur, ius civile in casibus iure Prutenico non de-  
cisi in Prussia haud attendi.

## §. I.



Mnium populorum institutis, ac legibus sanctam parentum personam conseruatam fuisse historicorum loquuntur monumenta. Ad superstitionem vsque ascendit Iudaeorum religio, qui ex metu, ne filius paternum sanguinem effunderet, non permiserunt, filium Patri venam secare, imo spinam educere, aut vlcus aperire, ne forte sanguis sequatur. CONSTANTIN L' Empereur in *Babakama c. 8. p. 3.* ap. PVFEND. *d. I. N. G. l. 6. c. 2. §. 10.* Ast non omnium placitis, & sanctionibus aequa Parentibus potestas confirmata, & concessa fuit: quibusdam iura patris limitantibus, quibusdam gentium illa augentibus. In his Romani, si non summum, certe haud infimum obtinuerunt locum: apud quos, quam laxa patribus indulta fuerit potestas, ex instituto Romuli colligere potes, qui patri concessit terna filii venditione pecuniam quaerere; maiorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. Seruus enim semel venditus, si liber fieret, rursus sub patris potestatem redigebatur. Iterum quoque venundatus & liberatus, seruus vt ante patris erat. Post tertiam demum venditionem eximebatur e patris potestate. DIONYS. HALICARN. *l. 2.* Quod quamuis successu temporum limitatum, tandem plane abolitum *l. 1. C. de Patrib.*

qui



qui fil. alia tamen, & sat pinguia iura ex Romanorum legibus patres in liberos suos habuerunt. Prolixum ac taediosum foret, singulos paterni iuris effectus ex horum legibus enucleare. *Vid. PHILIPPVM PASCHALEM de Viribus P. P. Ascanium Clementinum de P. P.* Alia me intentio tenet. Scilicet translato Romanorum imperio occidentali ad Germanos; cum progressu seculorum Ius Iustinianum scholas ac fora occupauerit, atque secundum illud iudicare tandem Assessoribus Camerae iniunctum fuerit. *Ordin. Camer. de ann. 1500. §. Ordnen und setzen:* non citra vtilitatem disquiri posse censui, quem vsum moribus Germaniae effectus hi Iuris ciuilibus quoad Ius paternum lucrentur, cui vsum iuris Prutenici reuili adiungere volui, ne mihi illud *Q. MVTTII* obiiciatur: Turpe esse ius studenti ius patrium ignorare *v. l. 2. §. 43. ff. d. O. I.*

## §. II.

Vt vero rem, a capite exordiar non inconueniens erit breuibus differere, quo titulo parentes facultatem ac ius in liberos naturaliter, sibi vindicent. In diuersas partes hic abeunt iuris moralis doctores. *HOBBS* in tract. *de ciue c. 9. §. 2.* illud ex iure victoriae deducit ita: In statu naturali, cum omnia in omnes liceat, quatenus quisque ad sui conseruationem facere iudicat, victorem fieri dominum victi. Ex quo sequitur, iure naturae dominium infantis ad istum primo pertinere, qui eundem prius in sua potestate habuerit. Verum tutius est, quod *FLORENTINVS* in *l. 3. ff. de I. & I. asse-*



rit. Cognationem quandam inter nos a natura constitutam, cui consequens est hominem homini insidiari nefas esse. Quod adhuc pressius ex origine generis humani videre est, dum primo homini Deus sociam adiunxit, quae ex viri corpore desumpta, quo tenerrimum illius sentiret amorem, quos insuper ipse conditor sanctissimo colligauit foedere. Praeterea, cum homo eximium animans sit, i.e. tale, quod non coeco impetu animae sensitiuae, sed excellenti rationis ductu fertur ad aestimanda ea, quae profunt, nocent, vel decora sunt; facile vero aduertat, in quacuis praecipitia illum detrudi, si affectibus indulgens in bellum ruat, e contra ex pace non nisi commoda deprehendat, nihil magis optabit, quam societatem non qualemcunque, sed tranquillam, & pro sui intellectus modo ordinatam. Ut pluribus egregie haec confirmat, & HOBBSII fundamenta euertit. PVFENDORFF. *de I. N. & G. l. 2. c. 2. §. 5.*

## §. III.

Aliud fundamentum quaerit PVFEND. *d. tr. 1. c. 2. §. 4.* praeter alimentationem, & curam, quam Parentes in educandis liberis impendunt, illorum imperium liberorum quoque *praesumpto consensu* adeoque *pacto tacito* niti asserens, atque simile addens *ex l. 2. ff. d. N. G. vbi is, cuius absentis, & ignorantis negotia alter gessit, obligationem velut ex contractu tacito contraxisse intelligitur isti pensandi; quod in ipsius utilitatem impendit. Sed modeste hic dissentire non dubito, cum firmissima contra hanc sententiam in PRAESIDIS *Iurisprud. diu. l. 3. c. 4.**



*l. 4. §. 11. 12. & seqq.* inueniri queant. Et quidem primo miscntur, & pro iisdem habentur consensus tacitus & praesumptus, qui tamen etiam naturaliter varie differunt. Sic qui suam voluntatem expresse declarare nequit, ille nec tacite. Exemplum est in furioso, quamuis enim, creditore debitori chirographum reddente; inter ipsos conuentum videatur ne debitum exigatur *l. 2. §. 1. ff. de pact. l. 44. §. 5. 84. §. 7. de leg. 1.* frustra tamen exceptionem pacti opponeret, quid a furioso acceptum produceret *l. 40. ff. d. R. I.* At ex consensu praesumpto etiam furiosi, quorum v. g. negotia gesta sunt, obligantur *l. 3. §. 5. ff. d. N. G.* Inde PAVLVVS in *l. 46. ff. d. O. & A.* Furiosi, vbi ex re actio venit, obligantur. Porro consensus tacitus obligat saltem illos, quorum factum accessit. Ita si sciens passus sum aliquem pro me fideiubere, vel alias interuenire mandati teneor *l. 6. §. 2. conf. l. 18. ff. Mandat.* Praesumptus autem etiam ignorantes *l. 2. ff. d. N. G.* Ex consensu praesumpto tenentur etiam inuiti; ex tacito non nisi volentes. *Vid. plur. d. Ipr. div. l. 2. c. 7. §. 24. 25. seqq.* Secundo ius hoc paternum ex consensu tacito fluere nequit, quia ille ita se habet, vt per contrarium dissensum tolli possit, & tantum obtineat in actionibus ante consensum liberis. At nec Patri liberum est, nec filio educationis iura cum annexo cuique debito, declinare. Nec obicem ponit quod sibi non repugnet, aliquid oriri ex praecepto legis naturalis, & oriri ex consensu tacito; Sic homini liberum esse Deo non parere, & tamen Deum a fidelibus obsequium foedere stipulari voluisse. Sic ciuem utique

munia



munia militaria Reip. debere, & tamen dum miles scribitur consensum eius accedere & sacramentum. Deus enim per eiusmodi obsequii stipulationem non nouum aliquod ius accipit, sed illam obligationem, qua fideles iam tum ipsi erant obstricti, magis declarat. Similiter ciuis, eo ipso, quo in societatem coit, maximum dat ius corpori in se ipsum, tanquam partem, a quo, quando Resp. nouum consensum; & sacramentum ad seruitia militaria alias debita exigit, nihil noui haec operantur, sed obligationem iam existentem ceu accessorium vinculum (in primis iuramentum,) magis firmant *v. PVFEND. l. 4. c. 2. §. 6.* quod fecus in Parentibus, qui nouum nec antea existens ius in liberos acquirunt. *PRAES. in Ipr. diu. l. 3. c. 4. §. 16. 17. seqq.* Ad haec minus accurate dicitur, quod negotiorum gestio ex tacito consensu descendat, ille enim iure Romano fundat veros contractus *v. l. 13. §. 10. ff. locat. cond.* sed potius ex ipso facto *l. 3. §. 17. ibi. negotio gesto ff. d. N. G.* oritur, quod directo non inducit consensum, sed aequitas naturalis a lege confirmata hunc consensum praesumptum infert.

#### §. IV.

Pro generatione calculum ponit primus ille Iuris naturalis restaurator *GROTIVS d. I. B. ac P. l. 2. c. 5. §. 7.* cum quo conspirant aliqui eius commentatores, & alii iuris moralis doctores. Quia causa (Parentes) naturaliter habet potestatem in effectum (liberos) *LESS d. I. & I. l. 2. c. 45. dub. 4. n. 24.* & quia liberi per generationem, a parentibus optimum



mum ac praestantissimum accipiunt, vitam, quae  
 verbis GROTII *l. 2. c. 24. §. 6.* fundamentum est omni-  
 um bonorum temporalium, & aeternorum occa-  
 sio. Sententiam illam subvertere studuit HORN. *de*  
*eiuit. l. 1. c. 2. §. 2.* quamvis rationibus, & exemplis  
 quibusdam parum eo facientibus, quod ipsum etiam  
 obseruauit eius censor EPSTEINIUS *in annot. ad b. l.*  
 Temperandam illam opinionem existimo, ita, vt  
 generationem, fundamentum obligationis paternae  
 existere statuam, qui enim causa est, vt homo  
 existat, is quantum in se est, & quantum necesse  
 est, prospicere ei debet de his, quae ad vitam hu-  
 manam i.e. naturalem ac socialem, nam ad eam na-  
 tus est homo, sunt necessaria GROTII *d. I. B. ac P. l. 2.*  
*c. 7. §. 4. Naturalis stimulus,* inquit IUSTINIANVS  
*in l. un. §. 5. v. sicut C. d. R. V. A. parentes ad liberorum*  
*educationem hortatur. Et in l. ult. §. 5. C. de bon. quae lib.*  
*Filios vel filias alere patri necesse est propter ipsam naturam.*  
 Quod autem imperium spectat parentum, cui ac-  
 quirendo occasionem dedit generatio, illud ex ali-  
 mentatione, & educatione liberorum, ceu vero  
 titulo deducere cum PVFEND. *d. I. N. & G. l. 6. c. 2.*  
 §. 4. PRAES. *in Spr. div. l. 3. c. 4.* nullus dubito.

## §. V.

Dubia hinc porro exurgit disquisitio, vtrius pa-  
 rentum potestas in liberos naturaliter maior sit, patris,  
 an matris, an vero vtrique aequum ius tribuendum?  
 Matri illud in totum abiudicat HORN. *sup. c. l.* contem-  
 dens: Postquam Euae voluntas subiecta est marito,  
 omne ex illo genitum imperio, quod mater suspicit,  
 parere.

B



parere. Et huic quidem soli, non etiam materno, quod nullum est, cum de potestate matri diuinitus concessa nihil quicquam sciamus. Huius vestigia suppresso quanquam nomine premit HENNINGES *in not. ad GROT. l. 2. c. 5.* Sed nimis generali fundamento hoc nititur, & quidem eo, quo vitur HORN. *l. r. c. 1. nullum imperium, siue publicum, siue priuatum homini in hominem competere, absque expressissima constitutione Dei, eiusdemque praesentissimo interuentu:* Quod, si de causa vniuersali, & remota omnium rerum quaeritur, uti negari nequit, ita, sic causa proxima inuestigatur, simpliciter concedi non potest, verum dicendum est imperium hominis in hominem, tanquam ens morale non existere sine actu humano. PVFEND. *d. tr. l. 6. c. 1. §. 12.* Et quamuis nec hoc inficias ire facile quis praesumeret, lege diuina positua voluntatem vxoris voluntati mariti subiiciente, & hunc dominum illius constituyente, patris ius in liberos pinguius exinde, & potius esse, omnem tamen eo matri sublatam esse potestatem concludi nequit, cum quartum praeceptum parentibus aequalem honorem deferens contrarium innuat, & optimus iuris moralis doctor SALOMON *in prouerbis c. 1. v. 8.* ita moneat: *Mein Kind, gehorche der Zucht deiner Mutter, und verlaß nicht das Gebot deiner Mutter.*

## §. VI.

Ex aduerso HOBBS, *c. 4.* soli matri potestatem in liberos adscribere non dubitat: quia iure naturae dominium infantis ad eum primum pertinet; qui prius



prius in potestate sua ipsum habet. Manifestum autem est, eum qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusquam alterius. Adde quod in statu naturae sciri non potest, cuius patris filius est, nisi indicio matris. Eius igitur est, quem mater vult eum esse & proinde matris est. Sed laborat haec deducta consequentia falsa, ac sup. §. 2. negata hypothese, quasi statu naturali esset bellum omnium in omnes. E vtvt de patre certitudo aliqua infallibilis haberi nequeat, nemo enim ipse novit, quo sit exortus satu, attamen sufficit, quod etiam in statu naturae ex coniugio in terminis naturalibus sumto probabiliter constet, quis sit partus cuiusque pater.

## §. VII.

Qui generationem fundamentum huius iuris esse contendunt, vtrique parentum illud tribuunt. Quorum sententiam Physicorum excipit disputatio, vter parentum plus ad generationem conferat. Plutarchum ita differentem inducit GROTIUS *l. 2. c. 3. §. 18.* Natura sexuum corpora miscet, vt ita de vtraque parte sumta confundat & commune vtrisque reddat quod nascitur, ita vt neuter possit discernere, quid suum sit, quid alienum. Contra ARISTOTELES *lib. 1. de Generat. animal. c. 21.* demonstrat quod foetus materiam a sola matre, a patre tantum <sup>ἐξ ἑνὸς κινήσεως</sup> principium motus accipiat, v. SCHILT. *Philosoph. iur. c. 4. §. 2.* Alii aliter. Hanc Physicorum disceptationem non magnopere attendunt opinionis huius sectatores, sed gradum imperii



rii maiorem in casu dissensus patri adstruunt, alii ob potestatem, qua vir in ipsam vxorem pollet.

§. VIII.

Nos cum alimentationem, & educationem, ad quam liberis debito modo praestandam parentes propter generationem proxime obligati sunt, titulum huius imperii constituerimus, ad eam vero vterque concurrant, non obscure innuimus extra ciuitatem, vbi citra pactum coierunt, potestatem in liberos vtrique aequaliter competere. PRAES. in Ipr. diu. l. 3. c. 4. §. 41. 42. 68. Sed quid est, quod VLPPIANVS in l. 24. ff. de Stat. hom. dicat: *Lex Naturae est de qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur?* Scilicet, matrem sequi Ictis idem est, ac statum matris ciuilem sequi CAIUS l. 2. Inst. c. 4. §. f. Cum enim leges Romanae vltra naturalem inter parentes, & partum obligationem, etiam obligationis ciuilis effectum, P.P. induxerint, & ad eum consequendum legitimum matrimonium ordinauerint, quo interueniente partus patrem sequatur c. l. 24. de Stat. hom. naturali ratione constat, quod si id non interueniat, partus qui vt membrum societatis ciuilis statum habere debet, patris autem obtinere non potest, matris conditionem sequi necesse habeat. SCHILT. *Philosop. iur. c. 4. §. 2. conf. GROT. d. I. B. ac P. l. 3. c. 7. §. 5.*

§. IX.

Sed haecenus dicta naturaliter obtinent. Iura vero ciuilia, & in specie Romana ab his secessum fecerunt. §. 10. l. d. *Adopt. §. 3. I. d. H. Q. & D. l. 5. C. d. Adopt.*



*Adopr.* Romani enim in primis studuerunt, vt familiarum amplitudini, ac dignitati confalerent, ex qua totius Reip. dignitas aestimanda est. Cum ergo constet, nihil melius ad augmentum & conseruationem familiae conferre, quam si totius familiae vnus sit gubernator: id vero ita demum eueniat, quando omnes personae in domo Patrisfamilias existentes, eius potestati subiiciuntur, ne quidquam impedimenti ipsi opponatur, singulis familiis, & consequenter Reip. satis expedire iudicarunt Romani, si patri soli potestatem in liberos adscriberent. Id quod factum est natura non repugnante, quae iuxta ARISTOTELEM *l. Polit. 13. & 14.* maiorem aptiorem ad regimen formauit. Quod leges Romanaeclare testantur, quibus fragiles natura foeminae sunt *l. vn §. 15. C. d. R. V. A.* & quod foeminae consilium aduersus propria commoda inueniatur laborare *l. 4. C. de Sponsal.* quod facile decipiantur. *Nou. Or. c. 1. §. 2. l. 2. 3. ff. ad Sct. Vellei.* Accedit, quod, cum dignitas familiarum ex earum praesertim antiquitate, latissimaque propagatione, itemque ex patrimonii facultatibus per multos descendendum gradus producta linea aestimetur, foeminae parum eo conferant; vtpote quae & familiae suae caput & finis sunt *l. 195. §. vlt. ff. d. V. S. conf. l. 19. ff. de Stat. bom. l. 196. §. 1. ff. d. V. S. vid. ANTON. FAB. Iurispr. Papin. t. 8. pr. 1.*

## §. X.

Non solum autem patribus potestas in liberos ex iure naturae competens LL. ciuilibus corroborata, sed & maior & rigidior superinducta fuit. Hinc



IVSTINIANVS §. 2. *I. d. P. P.* illud ius proprium ciuium Romanorum, nullosque alios esse homines asserit, qui talem in liberos habeant potestatem. Cuius asseriti veritatem alii in ratione quaerunt, quae Romanos impulit patri eiusmodi potestatem concedere, quae, vt modo dixit, fuit dignitas & augmentum familiarum. Cum enim non nisi per iustas nuptias eveniat, vt diuturnitatis nobis memoria in aeuum relinquamus *l. 220. §. vlt. ff. d. V. S. & illae immortalitatem artificiose inducant Nou. 22. in pr.* necesse, aut certe quam maxime conueniens fuit, vt ciues Romani maximis priuilegijs ad nuptias inuitarentur, & omnimoda potestas etiam vitae ac necis *l. ii. in f. ff. de lib. & possib. l. vlt. C. de P. P.* in liberos illis indulgeretur, ne forte propter contumaciam, moresque perditos liberorum alii a voto illorum procreandorum reuocarentur. ANTON. FABER. *c. l. ill. i.* Alii ad attributa referunt, quae huic potestati apud Romanos fuere propria, quod scilicet legitimationibus, adoptionibus constituta, & minima capitis diminutione ac deportatione fuerit amissa VVLTEI. *ad §. 2. I. d. P. P.* MAESTERT. *d. iust. Roman. LL. l. i. d. 27.* Alii & rectius ad strictissimam potestatem vitae ac necis, duram liberorum venditionem, omnimodam bonorum acquisitionem, §. 1. *I. per qu. pers. nob. acq.* & alios singulares effectus restringunt. VINN. §. 2. *I. d. P. P.* Qui asperi, & duri Romanorum mores, quamuis postea Graecorum condimentis temperati sint, non parum tamen remansit, quod de stricta illorum potestate loco testimo-



stimonii esse potest. Cuius usum moribus Germania indagare iam animus est.

§. XI.

Enim vero non longam ac prolixam explanationem effectuum iuris illius (quod & ab initio praemonui) necere, nec qualem in Republica Romanorum usum habuerint, inquirere volo; omnes enim, quotquot in prima iuris elementa ac Pandectas commentati sunt, ad nauseam rem inculcant, ut ea propter non verear, ne mihi obiciatur, quod versatissimus in praxi Ictus LAYTERBACH post explanationem peculii profectitii, indeque descendentem actionem de peculio, (ex quo non minimus paternae in liberos potestatis apud Romanos effectus dependet) tandem subiungit, plus difficultatis quam utilitatis hanc materiam habere. Simul autem notandum, quid sit in usu esse, de quo constabit si scias, quid denotet non esse in usu. Duplici vero modo dici potest aliquid non esse in usu, vel (1) si quid in Republica receptum, postea infrequenti usu populi ita languescat, ut rarissime eius amplius utilitas se exserat (2) non est in usu, quod receptum non est, vel si ex complexu variarum legum quicquam receptum sit, quicquam minus certe de eo quod in viridi observantia non est, non esse in usu affirmari potest. Si enim iura non constituentur ex his, quae forte vno aliquo casu accidere possunt, & quod semel aut bis existit, praeterirent Latores *l. 3. 4. 6. ff. de LL. cur usus aestimari deberet ex eo, quod inopinato bis vel ter in seculo evenit,*





euenit, vel euenire potest? PRAES. in *Vind. coroll. de exig. vs. Pand. & in dissert. de Vsu act. poen. c. 1. §. 28.*

## §. XIII.

Simul vero, dum de moribus Germaniae sollicitus sum, notabis, Germanos duplici iure vsos fuisse, Iure Francico in superiori Germania, in inferiori Iure Saxonico. Postquam enim Carolus M. Rex Francorum Saxones deuicerat, illis maiorem, ac aliis libertatem reliquit, ita, vt quoque peculiaria iura, & leges a Francorum legibus quodammodo diuersas, in gratiam Saxonum, qui insuper suis moribus, ac placitis viuiebant; promulgauerit. Mores ac placita Saxonum priuatus quidam in vnum corpus collegit; quod nomine Speculi Saxonici, *der Sachsen-Spiegel* venit, & hoc totam inferiorem Germaniam obligabat. In Germania superiori, vt dictum, iuris Francici auctoritas magna erat. Hoc ius incerto quodam auctore ad imitationem Saxonum partim ex iure scripto, partim ex aliis consuetudinibus postea collectum; editumque sub titulo Speculi Sueuici *der Schwaben-Spiegel*. Et in plerisque cum Speculo Saxonico conuenit excepta successione. *Vid. Illustr. STRYK. in discurs. praelim. Vf. mod. §. 6. 8. 14.* Horum iurium tanta adhuc vis est vt, antequam ad Ius Iustinianum recurramus, prius illa attendenda sint, & illorum ratio, vltimo demum Ius Iustinianum, vt subsidiarium. Id. §. 22. 27. 32. Quoties ergo effectus aliquis iuris paterni deducetur ex his Germanorum iuribus, qui legibus Romanorum etiam obtinet, caue vsus illius his adscribas



scribas cum leges Romanae intuitu consuetudinum,  
ac iuris Germanorum in Germania longe post suam  
subsidiariam auctoritatem acceperint.

## §. XIII.

Quod effectus ipsos attinet, separandi sunt illi,  
qui in genere ex relatione, & naturali obligatione,  
qua liberi parentibus adstringuntur, procedunt,  
quosque ius civile determinavit, confirmavit, auxit,  
& quorum particeps vterque parentum est, ab illis,  
qui ex solo beneficio legum civilium, vel si in na-  
turali iure fundati, ex illorum restrictione ad so-  
lum patrem, dependent. Prioris generis sunt, quod  
liberi parentes non possint in ius vocare sine venia  
impetrata sub poena 50. aureorum *l. 1. 2. 3. ff. l. 3. C. de in ius voc. §. 12. l. d. act. l. 12. ff. de in ius voc. quod li-  
beri egenis parentibus succurrere l. 5. pr. §. 12. 15. ff. de  
agnos. & alend. lib. l. 8. §. 5. C. de bon. quae lib. illis legi-  
timam titulo institutionis relinquere debeant, Nou. us. c. 3. 4. 5. quod parentes liberis aequaliter ab inte-  
stato succedant, Nou. us. c. 2. quod parentes liberos,  
si alia ratio eos alendi non supersit, vendere pos-  
sint, l. 2. C. de patr. qui fil. quem textum etiam de  
matre loqui exinde patet, quia Diocletianus &  
Maximianus in *l. 1. C. cod. in genere loquuntur de  
parentibus, quod neque venditionis, neque dona-  
tionis titulo neque pignoris iure aut alio quolibet  
modo liberos in alium transferre possint, quam  
constitutionem deinde Imperator Constantinus in  
subseq. lege 2. limitat, nisi propter nimiam pauper-  
tatem egestatemque victus causa, sc. pueri sangui-  
nolenti.**



molenti. Et ad haec Imperator Constantinus adhibet in *d. l. 2.* verbum *Si quis* quod tam masculos, quam foeminas complecti, ita clare docet PAVLVS in *l. 1. ff. d. V.S.* vt non mereatur, qui (vt alias in *l. 17. ff. de inoff. test.*) a Fulgoso per capillos interrogandus fit, quid habere velit. *Conf. plur. PHILIPP. PASCHAL. d. tr. p. 2. tot.*

## §. XIV.

Antequam vltius progrediar, vsum modo adductorum effectuum in medium adducere ere esse iudicavi. Primus erat, quod liberi (ratione patris intellige emancipatos *l. 3. C. d. in ius voc.* vel etiam suos in illis causis, in quibus contra patrem agi poterat) non possint parentes *v. l. 4. §. 2. ff. de in ius voc. VSYLL. ad §. 12. I. d. act.* in ius vocare sine venia impetrata sub poena, 50. aureorum *l. 12. p. f. ff. de in ius voc.* Huius rei ratio non obscura est, quia antiquissima in ius vocatio priuata erat, imo dura & violenta FRANCIS. BROEVS ad §. 12. *I. d. Act.* BARN. BRISSON. *de formul. & solemn. pop. Rom. lib. 5. pr.* Hac postea sublata, interim priuata, qua ignorante iudice actor curabat reum vocari per apparitorem vsque ad Iustinianum permansit. SCHILT. *exerc. ad ff. 7. lb. 4. v. Nou. 112. c. 2. & Nou. 53.* Cum ergo naturali ratione honor parentibus debeatur, vt nec rusticitati venia praebeatur *l. 3. C. d. in ius voc.* qui per eiusmodi in ius vocationem facili modo laedi poterat, liberos veniam edicti petere decebat. Ast in Germania, quia citationes non nisi praeuio decreto iudicis fiunt, veniae illa impetratio vna cum actione de

de  
pte  
inte  
n. 69  
Etico  
lis e  
ven  
ius v  
tam  
men  
trari  
c. t. i  
  
stand  
pietar  
egere  
agn. &  
dant r  
legitim  
quend  
iuris n  
salua f  
ris nec  
in effe  
O. 41.  
minare  
cur, n  
fuerint  
laborio



de in ius vocando cessat. *Cz. 1. c. 2. d. 26.* vt ea propter conscripta formula libelli huius actionis, quam inter alios etiam exhibet SCHNEID. *ad §. 12. I. d. act. n. 69.* citra iacturam carere possimus, & inutilis praetorum cautela sit, supplicationibus, in casu, si lis contra eiusmodi personas mouenda, petitionem veniae subiungentium. STRYK. *in vsu mod. ff. d. in ius voc.* Ius Prutenicum quamuis citationem priuatam non permittat *Proc. iud. t. 14. a. 1. §. 1.* hoc tamen in casu veniae imperationem sub poena arbitraria, & nullitatis citationis obseruari sanciuit *Def. c. t. 14. a. 6. §. 6.*

## §. XVI.

De vsu alimentorum parentibus a liberis praestandorum minus dubii est, cum haec ex officio pietatis illis debeantur, & iniquissimum sit patrem egere cum filius sit in facultatibus *l. 5. §. 13. ff. l. 1. C. d. agn. et al. lib.* Quid vero alimenta in se comprehendant *vid. COLER. de aliment. l. 2. c. 1.* Inquiramus de legitima, quae parentibus titulo institutionis relinquenda. Haec quatenus alimenta in se continet, iuris naturae est *Nov. 1. in praef. §. 2.* Et hinc, si haec salua sint, etiam statuto tolli, & parentibus ac liberis necessitas illam relinquendi remitti poterit, prout in effectu nobiscum sentit *GAIL. 2. O. 122. MYNS. 5. O. 43.* Leges vero ciuiles illius quantitatem determinare licite potuerunt, & sat rationis habuerunt, cur, ne parentibus illa auferretur, tam sollicitae fuerint. Parentibus enim quia alimentatione, & laboriosa educatione bene beateque viuendi auctores



res liberis existunt, nec similem gratiam nec parem meritis honorem rependere possumus, monente ARISTOTELE 8. *Nicom. ult.* Sed vnde hoc foris Germaniae receptum quod legitima non nisi titulo institutionis relinquenda. Apud veteres Germanos nullus testamenti vsus fuit. TACITVS *de morib. Germ. c. 20.* Quo propior autem postmodum gens Germanorum Romanis fuit, eo maior testamentorum vsus inualuit, vt egregie hoc deducit diligentissimus iuris Germanici obseruator SCHILT. in exerc. *ad ff. 14. tb. 29. & seqq.* In Speculo Sueuico aliqua de testamentis inueniuntur *Vid. lib. 1. tit. Vater erbet des Sohns Gut & Cap. 253.* Wie ein Kind Vater und Mutter Erbe verwürcket. *Cap. 296.* meretur, quod hic adscribatur, agit enim de rescissione testamenti per quaerelam inofficiosi. Und ist daß ein Vater durch seinen süßlen Willen, sein Sohn, oder seine Tochter, seines Guths will enterben, und wolte er darüber Handfest machen, daß en mag mit Recht nicht geschehen. Sie brechen ihm die Brieff woll mit Recht, und das thun wol Söhn und Töchter, ob sie ihr Erbe nicht verwirckte haben. Haben sie aber ihr Erbe verwirckt, als dis Buch hiervon sagt, so thut es der Vater wol mit recht. Seynd aber die Kinder nicht zu ihren Tagen kommen, so der Vater das Geschäft thut, das schadet den Kindern nicht. Wann der Knecht kommt zu den vierzehn Jahren, und die Magd zu zwölf Jahren, so seynd sie zu ihren Tagen kommen, so versprechen sie ihr Gut wol, und ist feste, was ihr Vater mit seinem Guthe geschaffet hat. Et ex *Cap. 262.* colligere licet quod filius liberrime potuerit testari de bonis quae a patre non profecta sunt: Und



Und hat der Sohn ander Guth gewonnen, dann daß ihm sein Vater gab und gibt ihm Gott geschafft, er gibt das Guth mit gesunden Leib oder an dem Todbett wenn er will. Speculum Saxonicum vtut in multis cum Speculo Sveuico conueniat, silet tamen de successione ex testamento. Successu temporis longa consuetudine testamenti factio in Germania inferiori quoque introducta, donec crescente iuris Iustiniani auctoritate vberior testamentorum leges spargi & vberima litium testamentariorum messis (quod infra notabimus) colligi coepit. Ius hoc Iustinianum respectu rigidi illius iuris XII. Tabul. quo vti quisque Pater familias legassit, ita ius erat (cui propter degeneratam regiam potestatem in Tyrannidem iam in statu consulari, & mutata Reip. facie in statu populari respectu huius dispositionis testamentariae in multis derogabatur, vid. SCHILT. exerc. ad ff. 14. th. 9. & seqq.) maxime ductum naturalis aequitatis secutum est, inde & augmentum legitimae pro numero personarum quibus haec debetur, maius ordinauit etiam quoad semissem in parentibus *Nov. 118. c. 1. in f. de quo alias dubitat FRANK. ad cir. de inoff. test. n. 32.* & tandem sanciuir, quo haec legitima titulo institutionis, vt liberis, ita & parentibus relinquatur *Nov. 115. c. 3. 4. quod praxi ac Vsu Germaniae confirmatum est. Cz. p. 3. c. 9. d. 1. 2.* Iure Prutenico idem statutum, nisi quod legitimam parentibus debitam indistincte, i. e. non attento numero personarum constituunt tres quadrantes haereditatis *L. R. h. 5. t. 3.*



## §. XVI.

Quomodo ex naturali ratione parentibus liberorum haereditas debeatur *vid. GROT. d. I. B. ac P. l. 2. c. 7. §. 9. PVFEND. d. I. N. & G. l. 4. c. XI, §. 13. PRAES. in Ipr. div. l. 2. c. 10. §. 188. 189.* Ast quomodo moribus Germaniae audiamus. De successione parentum ius Germanorum plura, quam de successione ex testamento disponit. Speculum Suenicum patri liberorum successione tribuit in bonis quae ab illo peruenerunt, de matre vero viuente patre tacet *Cap. 262.* Und stirbt einem Vater sein Sohn, und hat er ihm Gut ausgeben, es sey fahrendes Gut oder ander Gut, und hat er weder Weib noch Kind, der Vater erbet des Sohnes Gut es mag der Bruder noch die Schwester nicht erben. *vid. Cap. 284.* Speculum Saxonicum matrem videtur clarius excludere, & soli patri successione, in bona liberorum concedere, *lib. 1. a. 17. vtut & hic dissensus Doctorum appareat vid. STRYK. in tr. de success. ab int. diff. 2. c. 3. §. 1. quem Elector Saxoniae in suo territorio composuit P. 3. C. 17. ac fanciuit matrem cum patre simul succedere debere.* Si tamen filia decedat, & relinquat vtensilia die Gerade, in his mater praefertur patri *d. lib. 1. a. 27.* modo alia bona adhuc supersint, alias patri legitima debetur. *RICHTER de success. ab int. sect. 2. m. 1. n. 31.* Ex illis iuribus insimul constat, parentes omnes collaterales excludere, quod adhuc in Saxonia obtinet *Cz. p. 3. c. 17. d. 6. BENED. REINHARD. P. 1. diff. 29.* Coeterum vniuersalem Germaniae obseruantiam in puncto successione ab intestato docere difficillimum est, cum in omnibus fere prouinciis intuita huius mate-



teriae statuta superuenerint, quibus deficientibus, vt & consuetudine, iuri ciuili, tanquam subsidiario standum. Iure Prutenico eadem fere hic sancita, quae iure ciuili. Nam & ibi pater & mater aequaliter ad successioem liberorum vocantur. Speciale solum hoc habet, quod distinguatur inter finum ruptum, & integrum h. e. inter liberos decedentes soluto inter parentes matrimonio, & nondum soluto. Posteriori casu obtinet dispositio *Nov. 118. c. 3.* Priori fratres, & sorores bilaterales excludunt patrem vel matrem, siue divisio bonorum facta sit, siue non. Hoc tamen intellige de bonis paternis vel maternis. In bonis enim aliis aduentitiis, castrensibus, & quasi castrensibus, is, qui a parentibus in uiuis adhuc est, vna cum fratribus vel sororibus admittitur *Pr. Gr. l. 5. t. 12. a. 2. §. 5.*

## §. XVII.

Haec in allodialibus obtinent. Iure Feudali ascendentes descendentibus non succedunt *2. F. 50.* nec *Pr. Gr.* in feudo nouo quod in Prussia feudum strictum appellatur *l. 7. t. 2. §. 1.* nisi (1) feudum nouum iure feudi antiqui datum *STRVV. Synt. Iur. Feud. c. 9. apb. 3. n. 4.* (2) nominatim cum domino pactus fuerit pater; vt, si filius deceaserit quod feudum ad se reuerti debeat *2. F. 84. Pr. Gr. c. 1.* Plures except. *vid. in STRYK. exam. iur. feud. c. 16. q. 4.* Nec in feudo antiquo, nisi pater feudum antiquum refutauerit, quo filius inuestiretur, hic vero viuo patre sine haerede masculino decedat *FINCKELTH. disp. feud. 6. v. 33. l. d.*

## §. XVIII.



§. XVIII.  
 Venditionem liberorum moribus Germaniae inualuisse patet ex C. 407. Spec. Suen. Wie ein Mann sein Kind verkauffet durch ehbafft Noth, das thut er wol mit recht. Er soll es aber nicht verkauffen, daß man es thet in das Hur-Hauß, er mag es einem Herrn wol zu eigen geben. Hodie eiusmodi venditionem non obtinere verum hoc casu existente Magistratum subuenire notat STRVV. Syn. Iur. cin. ex 23. tb. 27. An vero eiusmodi casum extitisse sciuerit, quaerem?

§. XIX.

Sed redeamus ad effectus, qui ex iure Romanorum natales suos ducunt, aut si iuris naturalis sunt, illo iure soli patri concessi sunt. Et potiores secundum Dd. sunt sequentes. Liberi inconsultis parentibus, quorum in potestate sunt (de nepte vid. l. 16. §. 1. ff. d. R. N. De matre §. 10. I. d. Adopt. l. 20. C. de nupt.) non possunt vota matrimonialia contrahere l. 7. §. 1. ff. d. Spons. pr. I. l. 2. ff. 12. C. d. nupt. Sed horum consensus praecedere debet, vt nec ratihabitio sufficiat pr. I. d. Nupt. Et si nihilominus fuerint consummata, nulla sunt, liberique ex iis nati illegitimi l. 11. ff. de Stat. hom. quae tamen omnia in emancipatis aliter se habent. l. 25. ff. d. R. N. Pater potest liberis in testamento tutores dare, qui nec confirmatione opus habent l. 1. §. 1. ff. d. conf. tut. perl. 7. C. de curat. fur. nec satisfiant. pr. I. d. satisf. tut. l. 2. 3. ff. d. conf. tut. l. 17. pr. ff. d. test. tut. Mater regulariter non potest dare arg. §. 10. I. d. Adopt. Si tamen dederit cum inquisitione confirmandi l. 4. ff. d. test. tut. l. 2.

IIIX



l. 2. ff. d. conf. tut. Reliqui binis regulis includi possunt, quarum prima est: Filius & pater habentur pro vna persona l. f. C. d. impub. & aliis subst. v. §. 4. I. d. inut. stipul. l. 22. §. 1. C. d. Agricol. & cens. l. 11. t. 47. Inde inter patrem & filium nulla civilis obligatio §. 4. I. d. inut. stip. nec donatio l. 17. 11. C. d. donat. nec lis l. 4. ff. d. ind. Inde pater potest liberis pupillariter substituere pr. I. d. pup. substit. Altera est: Filius quicquid acquirit, acquirit patri: habita sc. distinctione bonorum §. 1. I. per qu. pers. nob. acq. Hinc pater est legitimus administrator bonorum filii eo invito, l. 1. C. d. bon. mar. l. 6. §. 2. C. d. bon. quae lib. etiamsi filius legitimae aetatis sit, f. §. 3. C. d. bon. in buae lib. Et filius stare nequit in iudicio sine consensu patris, l. f. pr. v. necessitate C. d. bon. quae lib. nec potest testari, l. 6. 3. ff. qui test. fac. poss. nec contra consensum patris mortis causa donare l. 7. §. 4. ff. d. donat. l. 25. §. 1. ff. d. m. c. donat. nec mutuo obligari, l. 1. 9. §. pen. ff. d. Scl. Maccd. l. 40. ff. d. cond. indeb. §. pen. I. quod cum eo.

## §. XX.

De his Dd. quaerunt, quem usum in Germania hodie praebent, sv. quod eodem recurrit. Q. An patria Romanorum potestas moribus Germaniae obtineat? Si decisionem Ictorum Batauorum GYDELINI d. Iur. nov. l. 1. c. 13. §. 5. VINNI ad §. 2. I. de P.F. & alibi passim. GRONWEGII in tr. d. LL. abrog. ad tit. I. d. P.P. & aliorum attenderemus, negatiuae promptissime subscribendum esset. Ita enim hic vltimus. Magna illa vtrique singularis potestas, quae ciuium Romanorum propria fuit, eiusque peculiare est. Etus  
D nostris



*nostris & aliorum moribus in desuetudinem abierunt. Sed praeterquam, quod plerique illorum de suis tantum moribus intelligendi sint, GRONWEGEN inprimis nullam rationem suae assertionis saepissime affert, verum simpliciter asserit: Haec lex abrogata. vid. STRYCK in disc. praelim. vsus mod. §. ult. Ex Germanis nominare possum Giphanium, non infimi ordinis Ictum. Sic enim ille in comm. ad §. 2. I. d. P. P. Quare si mores nostros spectemus, nulla amplius est potestas civilis, de qua hic agitur, sed naturalis tantum observantia & reuerentia. Cui adstipulatur SCHVLZ ad §. 2. I. d. P. P. Videtur distinguendum esse inter potestatem, quae patri competit iure & moribus Germanorum & illam, quae ex Legibus Romanorum descendit. Quin apud Germanos pater prae matre facultatem aliquam maiorem in liberos habuerit, dubitari nequit. Nam & illi foeminas propter imbecillitatem animi minus capaces iudicant, quae sibi ipsis, multo minus toti domui, & familiae digne consulere potuerint. Hinc moribus illorum foeminae in perpetua sunt tutela. Spec. Sved. c. 259. & 309. Saxon. l. 1. art. 45. conf. SCHILT. exerc. ad ff. 37. §. 241. 242. Matri tamen etiam aliqualem in liberos potestatem, patre mortuo indultam fuisse patet ex LL. Wisigothorum l. 4. t. 2. c. 13. Et Specul. Saxon. lib. 1. art. 13. mentionem iniicit emancipationis a matre factae. Hanc Germanorum in liberos potestatem, vtut per mores recentiores quodammodo limitatam, (quod inferius deprehendes) hodie in desuetudinem abiisse non dixerim. Nota est Electoris Saxoniae sanctio p. 2. c. 10. Weil in den Säch.*



Sächsischen Rechten nirgend zu befinden, daß die väterliche Gewalt insonderheit uffgehoben, so bleibet auch dieselbe nochmahls nicht unbillig bestehen. Quid vero mores Germaniae circa effectus huius potestatis ex Iure Romanorum receperint, ex cap. seq. apparebit. Iure Prutenico paternum in liberos ius obtinere, singulae ferme paginae inculcant. De Matris aliquali potestate occurrit textus in *l. 2. t. 1. a. 1. §. 1. & l. 5. t. 14. a. 2. §. 2.* qui §. *ex Spec. Saxon. l. 1. a. 13.* depromptus est. An vero aequales, vt Iuris civilis, effectus intuitu huius iuris in Prussia frequententur, itidem ex seqq. videre erit. Alias pro Iure Iustiniano egregius se offert textus in *l. 5. t. 1. a. 2. §. 1. ibi:* als haben wir aus obgedachten kaiserlichen Rechten, welche noch mehrentheils in unserm Herzogthum Preussen gehalten, und obseruiert. &c. Cuius ductu non incommode quaeritur. An ius Prutenicum in casibus non decisus suppleatur per ius civile commune? Videtur dicendum, quod sic. Regulariter enim omnia in statutis remanent sub dispositione iuris communis. *Decian. v. 2. R. 31. n. 37. Carpz. 2. dec. 102. v. 10.* Sed placuit Serenissimo Electori & Legislatori iuris Prussici secundum recessum conuentus prouincialis d. ann. 1612. vt illa, quae forte in illo decisa non reperiuntur, nouae potius Eius decisioni vel diiudicationi submittantur, quam ex peregrino iure dirimantur. *Const. derog. §.* Es ist auch unser Wille und Meinung. *conf. ADAM RICCIVS Prof. Regiom. tr. Raps. de quant. & qual. libr. iur. Rom. p. 283. & 284.*



## CAPVT II.

## OSTENDENS VSVM EFFECTVVM IVRIS PATERNI QUI IVRE CIVILI SOLI PATRI, ADDICVNTVR.

## SVM MARIA.

- §. I. **N**uptiæ absque consensu parentum consummatae hodie subsistunt.
- §. II. Pater liberis testamento tutores recte dat, qui tamen confirmandi.
- §. III. Nec Patri Electori testamentaria tutela adema.
- §. IV. Inter patrem & filium moribus Germanorum donatio firma fuit. Quid hodie?
- §. V. Inter patrem & filium hodie esse potest.
- §. VI. Pater hodie liberis pupillariter substituit, & hoc in casu matri legitima relinquenda.
- §. VII. Peculium profectitium Romanorum ignorarunt Germani. Quid iuris hodie apud Germanos patri quaesitum circa peculium aduentitium & profectitium.
- §. VIII. Quid apud Borussia.
- §. IX. Vnde parentibus competas administratio honorum liberorum.
- §. X. Apud Germanos testamentum condens Paterfamilias esse debet. Idem apud Borussia.
- §. XI. Testamenti factio multas literas in Germaniam inuexit.
- §. XII. Filius sine patris consensu m. c. non donat, nec mutuo etiam hodie obligatur. Idem in Prussia.

## §. I.

**A**ccedamus ad effectus, qui iure Romanorum patribus solis addicuntur, quorum primus est, quod liberorum nuptiæ illis nescientibus contractæ & consummatae non subsistant. l. 2. 18. 31. d. R. N.



d. R. N. Mundum & coelum, & totam mundi machinam literatorum contra nuptias absque parentum consensu initas clamare, dicit Chassan. in catal. glor. mund. ap. GOEHAUSEN p. 3. per 6. qu. acad. 36. Iure ne ergo, an iniuria id fiat, videamus. Distincte autem inquirendum est, quid Iuris sit patribus ut talibus, & ut capitibus familiarum, quid ut patribus familias, qui in ciuitatibus degunt. De priori videtur GROT. d. I. B. ac P. l. 2. c. 5. §. 10. PVFEND. d. I. N. G. l. 6. c. 2. §. 14. PRAES. in Ipr. dir. l. 3. c. 4. §. 76. 77. 78. Posterius considerationi nostrae subiiciendum est, & quidem quid iuris patribus familias circa nuptias liberorum Germani largiantur. Veteri iure Francico, & Germanico consensum parentum aequae, ut iure ciuili fuisse necessarium, adeo, ut qui non canonicè & irrequisito parentum consensu uxorem sibi adsciuit, nunquam liberos legitimos atque haereditabiles generauerit, docet nos Capit. Francic. c. 127. 363. lib. 7. Insuper matrimonium volente patre rumpebatur. Leges Alemannorum C. LIV. ita disponunt: *si quis filiam non desponsatam sibi acceperit uxorem, si pater eius eam requirit, reddat eam, & cum XL. solid. eam componat.* II. *Si autem ipsa foemina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundum apud patrem acquirat, soluat eam patri eius CCCC sol.* III. *Et filios aut filias genuit, ante mundum & omnes mortui fuerint, unumquemque cum Weregello suo componat patri foeminae.* Cuius iuris vestigia in Comitatu Hennebergico obseruari testatur SCHILT. in exer. ad. ff. 3. §. 12. Sed ius recentius a iure hoc Germanorum veteri, ut & Romano, diuersum quid introduxit. Etsi enim consensus



sensus parentum ad ineundas nuptias vtique & hodie requiri debet, & citra grauissimum peccatum omit-  
 ti nequit, etiam a liberis emancipatis CARPZ. 2. def.  
 49. vt inde, si res adhuc sit integra, & parentes ius-  
 tas sui dissensus causas allegare possint, matrimo-  
 nium initiatum propter neglectum & matris consen-  
 sum apud nos distrahi queat RICHT. v. 1. p. 2. conf. 4.  
 per integr. attamen consummatum per copulam car-  
 nalem firmum manet CARPZ. 2. d. 60. § 4. c. 20. d. 15.  
 liberi ex eo geniti legitimi sunt, nec ratihabitio pa-  
 rentum attenditur, nisi quod haec contrahentibus  
 proffit quoad successionem, quam parentes illis pro-  
 pter contemptum sui secundum statuta locorum adim-  
 nere possunt. LYNK. in Anal. ad pr. I. de Nupt. § ad  
 STRVV. Synt. Iur. civ. tit. d. R. N. th. 23. Spec. Sued. C. 381.  
 Ita disponit: Wann ein Jüngling zu XIV. Jahren  
 kommet, so nimmt er wol ein Eheliches Wyp ohne sei-  
 nes Vaters Willen. Also ob sie ihr Fleisch zu einander  
 gemischer haben, der Knabe und die Jungfrau, und ist  
 diß nicht geschehen, so mag man sie sundern. II. So die  
 Jungfrau kommet zu XII. Jahren, so ist sie zu ihren  
 Tagen kommen; Nimmt sie ein Mann ohn ihres Va-  
 ters und Freundes Willen. Die Ehe ist stet. Conf. De-  
 claratio Carol. V. in Comit. Augustanis Ann. 1548. tit. Vom  
 Sacrament der Ehe. §. Darum dieweil die väterliche  
 Gewalt. An vero huius ratio ex iure Canonico,  
 quo consensus parentum ad consummatas nuptias  
 non est de necessitate; c. sufficiat 2. c. 27. qu. 2. c. 6. X.  
 de Rapt. an ex iure diuino petenda sit, discutiendum  
 relinquo. Iure Prutenico modo dicta vtramque  
 paginam implent, nam & ibi consensus parentum  
 siue



siue prima, secunda vel tertia vice vota coniugalia  
 ineantur, neutiquam negligendus. Et si liberi clan-  
 destinis desponsationibus desistere recusent, paren-  
 tum arbitrio liberum est, vtrum dotem & donatio-  
 nem propter nuptias illis denegare, an illos pro ra-  
 tione circumstantiarum totali exhaeredationi subii-  
 cere velint *l. 2. t. 1. o. 1. §. 3. v. l. 5. t. 5. a. 1. §. 5.* Quod  
 si vero talem desponsationem copula carnalis sequatur,  
 ea ex approbatione consistorii subsistit. *L. R.  
 c. 42. §. 4.*

§. II.

Vt vero patrum potestas apud Romanos se ma-  
 xime exercebat, dum in viuis erant, ita effectus il-  
 lius potestatis quodammodo post illorum mortem  
 extendebatur. Poterant enim vltima sua voluntate  
 liberis suis impuberibus tutores constituere, qui no-  
 vellos hos Reip. ciues regerent. Quod leges ciuiles  
 non sine ratione illis permiserunt. Quippe patres  
 bene scientes rationem facultatum suarum credun-  
 tur liberis, vt corporis sui partibus quam optime  
 prospicere *l. 7. pr. C. de Curat. fur.* ab eo maxime tem-  
 pore, quo ipsi illis ad vitam ciuilem regendis super-  
 stites esse nequeunt. In tantum autem leges Ro-  
 manorum hoc patribus concedebant, vt nec con-  
 firmatio magistratus accederet *l. 1. ff. d. Conf. tut.* Mo-  
 res Germaniae nec hic patri omne detraxerunt. Ita  
*Spec. Suev. C. 319. §. 321. ap. GOLDAST. tom. Der Reichs-*  
*Händel.* Es mag ein Vater bey seinem lebendigen Leibe,  
 ob er will, seinen Kindern mit Recht einen Pfleger ge-  
 geben, wer der ist, dem er denn wohl getrauet. Dem-  
 selben





selben beziehet er sein Kinde, und ihr Gut, wenn er denn stirbet, soll sich der Pfleger der Kinder und ihres Guts unterwinden. Restrinxerunt saltem illam tutelae dationem ad confirmationem Magistratus Ord. Pol. d. a. 1548. tit. 31. §. 2. & de Ann. 1577. t. 32. §. 2. Ut hodie in plerisque locis tutor a patre datus item cum inquisitione confirmetur PLAC. & SCHILT ad §. f. I. d. Tutel. & inde inter tutorem a patre & matre relictum non amplius magna superfit differentia. Cauere insuper indistincte debent d. O. P. de ann. 1577. tit. 32. §. 3. Sufficit tamen in plerisque locis, bona immobilia possidere, satis enim pupillis iure tacitae hypothecae consultum videtur. *Noric. ad pr. I. d. factisd. tut. Mev. ad Ius Lubec. l. 1. t. 7. a. 2. n. 53. RITTERSHVS in Nov. 72.* Ius Prutenicum tutores a matre datos cum inquisitione, & cautione, a patre relictos simpliciter confirmari sancit l. 2. 2. 6. a. 1. §. 2. 3.

## §. III.

Hic quaeritur an a Patre Electore liberis testamentarius tutor constitui possit? Grauius haec quaestio superioribus annis ventilata est. Negantes quaestioni decisionem inde deriuant, quod controversiae iuris publici ex moribus, ac publico Germanorum iure amputandae sint. Illis autem antiquioribus testamentarias tutelae, ut testamenta, incognitas fuisse, postea constitutione publica proximo agnato legitimam tutelam delatam esse, qui inde ius quaesitum obtinuit. A. B. c. 7. §. 4. *ibi: S. Principem Electorem seu eius primogenitum, aut filium seniore laicum mori, & haeredes masculos legitimos laicos defectum aetatis*



actatis patientes relinquere contigerit, tunc frater senior tutor eorum & administrator existat v. GEVOLD. ZESCHLINVS. FRIEDENREICH. in Synops. contr. de tut. & adm. LAMPAD. de Rep. R. Germ. p. 3. c. 4. WVRMSER exerc. iur. publ. 2. tb. 17. Sed habent contrariae sententiae auctores non pauca, quae hic reponunt, quibus subscribo v. GOTHOFRED. & FREHER de tut. Elect. CONR. ad LAMP. p. 3. c. 4. §. 25. RHET. lib. 1. iur. publ. t. 7. §. 9. Temperamentum & consilium affert BETS. d. pact. illustr. fam. c. 7. p. 238. Aliud commendat SCHILTER in exerc. ad ff. 37. n. 2. 3. scil. vt tutori legitimo testamento relinquatur tutela, & adiungatur tantum tutor honorarius, cui potestas sit impediendi, & praecauendi, si quid praecudicii legitimus intendat. v. mund. c. l. n. 5.

## §. IV.

Quod porro pater & filius secundum naturam habeantur pro vna persona, vel ipse Imperator Iustinianus in l. f. C. d. impub. & alius subst. negat. Natura, inquit, & pater & filius vna eademque persona PENE intelliguntur. Vnitatem ergo hanc finxit subtilitas Romanorum, ignorauit simplicitas Germanorum, quod ex conclusionibus ex hac regula descendentibus patescit. Et quidem ob eam, cum nec obligatio inter illos consistat, pater filio in potestate donare nequit l. 11. 17. C. d. donat. Except. v. ap. LAVTERB. comp. iur. tit. d. donat. Hinc diuisio facta apatre inter liberos in potestate constitutos de iure non subsistit, cum sapiat donationem GAIL. 2. O. 38. n. 1. & 2. O. 116. pr. Sed audiamus speculum Sueuicum

E

Cap.



*Cap. 18. lit.* Der Kind Anspricht unter vierzeihen Jahren: Spricht ain Mann ain Kind an unter vierzeihen Jahren, und ist es unschuldig, soll der Vater für es schweren, überzeit man es der Gerhat, und hat ihm der Vater Gut ausgeben, da soll man vor wüssen dem Kläger und den Richter. Hat es ihm nicht Gut ausgeben, *2. Conf. c. 262. Conspirat. Specul. Saxon. l. 1. c. 10. qui textus quidem de donatione facta filio eunti in militiam loqui videtur; Conf. l. 4. C. famil. erisc.* Iuris tamen Saxonici Dd. admittunt eius dispositionem etiam in aliis rebus immobilibus B. RHEINHARD. *d. 6. p. 1. ap. ZOBEL diff. p. 2. d. 15. n. 5.* Et donationem inter patrem & filium contra iuris ciuilibus dispositionem ex obseruantia & consuetudine in Saxonia adhuc dum obtinere tradit *CARPZ. 6. Resp. 119. n. 12. 14. 18. COLER. l. dec. 13. n. 3.* Vir in iure Saxónico peritissimus eiusque obseruantia exercitatissimus. *CARPZ. 2. C. 12. d. 22. n. 9. v. Decis. Elect. 23. CARPZ. 6. Resp. 119.* Coeterum vbi dispositio iuris ciuilibus hoc in casu locum habet, vt in Prussia. *Pr. l. 4. t. 14. a. 1. §. 4.* Cautelam Dd. subministrant, vt filius iuramento donationem confirmari curet, sic enim valere *arg. c. 28. X. d. iurei. c. 2. d. pact. in 6. STRYCK. caut. contr. sect. 3. c. 9. §. 3.* Et hanc communem, & in Camera approbatam esse opinionem testis est *GAILL. 2. O. 38. n. 7. Myns. 2. O. 33.*

## §. V.

Nec propter vnionem fictam aiure ciuili lis inter patrem & filium esse potest. *l. 4. ff. d. iudic. l. 16. ff. de furt. Limit. V. ap. CLEMENTINYM ASCANIVM de*



de P. P. c. 8. n. 50. *§. 1.* Moribus Germaniae quid constitutum? Speculum Suevicum c. 282. sequentia exhibet. Der Vater soll seinen Sohn von ihm sundern, so er fünf und zwanzig Jahr alt ist, mit so viel Gut, als er geleisten mag, also, daß ihm das mehrere Theil beliebe, und thut er das nicht gern, der Sun nöthet ihn des wohl mit Rechte vor seinem Richter. Quod capitulum, vt loquatur de actione ad rescissionem iuris paterni tendente, iure civili filio non competente l. 4. 5. C. de Emanc. lib. argumentum tamen praebet asserendi id, quod volo, in primis cum ex §. praeced. appareat, inter patrem & filium moribus Germanorum obligationem existere potuisse. Imo & hodie glossam contrariam l. 4. ff. de iudic. in praxi obseruari auctor est VVLTEI. vir in praxi iuris Germaniae verfatissimus lib. 3. de iudic. c. 5. n. u. Conf. BRVNEM. ad l. 4. ff. de iudic. Pr. Pr. l. 5. t. 14. a. 1. §. 5. Et vlt. vbi & litem contra patrem intentare liberis in potestate existentibus iudulgetur, & venditionis, quae propter vnitatem inter patrem & filium iure civili contrahi nequit l. 2. ff. d. contrab. empt. empt. mentio iniicitur ibi: Weil auch die Eltern, wann sie liegende Gründe von den Kindern fauffen &c.

§. VI.

Ignorata ergo in germania vnitatis illa patris & filii fuit; ignorata & testamentorum factio. Hac vero sensim, vt cap. I. dictum, surgente, & iure Romanorum postmodum vigorem suum accipiente, penitus non omnem legislationem Romanorum circa testamenta Germani receperunt, minus intenti, multa



multa in ea ex vnitare illa patris & filii decisa reperiri. Haec inter est, quod apud illos hodie pater, aequè vt iure ciuili liberis suis pupillariter substituere possit. *CARPZ. 3. c. 8. d. 16.* Quam facultatem statuta quaedam matri quoque quodammodo largiuntur. *Ius Würtenb. P. 3. t. 12.* Ius Prutenicum de substitutione pupillari tacet. Obiter hic de quaestione illa practica agitata inter *CARPZ. p. 3. c. 8. d. 1.* & *BRVN. ad l. 8. §. 5. ff. d. inoff. test.* An sc. matri in substitutione pupillari expressa legitima sit relinquenda; adiiciendum: affirmatiuam, & iuri nouissimo Iustinaeone, & moribus Germanorum conuenientiore esse. *Conf. Const. Elect. 8. p. 3. ibique CARPZ. d. 3. RICHT. dec. 45. FINCKELTH. O. 29.*

## §. VII.

De acquisitione parentum, qua alteram regulam, ex qua effectus iuris paterni fluunt, constituit, dispiciamus. Naturaliter parentum potestas ad bona liberorum se non extendit: quamuis non sit ambigendum, illos alimenta ad illorum educationem ex his sumere posse, non obstante naturali obligatione, qualiberos alere tenentur. *PVFEND. d. I. N. & G. l. 6. §. c. 2. 8. PRAES. Ipr. diu. l. 3. c. 4. §. 69. 70. 71.* Ex quorundam ergo populorum legibus est, vt res omnes liberorum parentibus acquirantur, quae & patrem a matre in hac re distinguunt, & filios non emancipatos ab emancipatis, & naturales a legitimis *GROT. d. I. B. ac P. l. 2. c. 5. §. 2. conf. l. 2. c. 3. §. 6.* Quod quomodo legibus Romanorum sub distinctione obtinuerit explicat §. 1. & 2. *I. per qu. pers. nob. acq. LAVTERB. in Coll. Theor. Pract. ad. tit. ff. d. pecul. Sollici-*



liciti simus de moribus Germanorum. in Speculo Suevoico occurrit tantum diuissio in bona paterna, & in bona acquisita seu aduentitia, quorum domini liberi erant *v. cap. 118. relatum in §. 4. hui. cap. & c. 262. in Cap. 1. §. 15.* Sed numme, etiam peculii profectitii mentio iniicitur? Ita videtur, quia passim occurrit, das Gut, so der Vater dem Sohn ausgegeben *ic. cit. Cap.* Verum ausgegeben Gut non eandem cum peculio Romanorum profectitio naturam habet. Hoc quippe separatam quidem quoad administrationem a bonis patris filio erat concessum; dominium vero illius, & quicquid ex eo acquirebatur, pater sibi referuabat. *l. 7. pr. ff. d. donat. l. 46. ff. de pecul. vsyll. de act. §. 10. l. 49. §. 1. ff. d. A. & A. P. l. 1. §. 5. l. 4. ff. eod.* Illud autem Germanorum quanquam a patre profectum filius plene acquisiuit. *Conf. SCHILT. in exerc. ad ff. 27. §. 85. & seqq.* Sed quid hodie iuris circa peculiorum acquisitionem? Patri cedere vsumfructum peculii ordinarii in plerisque locis vsu venit, non tamen vt iure ciuili ad dies vitae; *l. 1. f. 4. §. 5. C. de bon. quae lib. Nou. 22. c. 34.* Sed alibi vsque ad separatam liberorum oeconomiam, alibi vsque ad illorum nuptias, alibi vsque ad illorum maiorenitatem. *CARPZ. p. 2. c. 16. d. 7. ZOBEL p. 3. diff. 5. HOPP. in comment. ad tit. I. per qu. pers. nob. acquir.* Imo & hodie matri in Saxonia extra Electoratum vsumf. competere tradunt, *Dd. Saxonici WESENB. in parat. ff. de tutel. n. 5. BERLICH. p. 2. cond. 12. n. 14. RICHT. decis. 18. n. 25.* Quoad peculium profectitium sumtum in terminis legum Romanarum aliter statuendum. Moribus enim Germanorum, vt modo dixi, nullibi occurrit; & hodie



hodie si pater filiis separata bona concedit, hi in illis pro emancipatis habentur. *SCHVLZ Synop. Inst. tit. quod cum eo qui in alien. potest. lit. c. HAHN. in not. ad WESENB. tit. de pecul. in f. vt inde actio de peculio, & actio Tributoria ab aula concesserit, si cum lege 4. §. 7. C. de Recept. arbitr. loqui fas est.*

## §. VIII.

Iure Prutenico circa acquisitionem bonorum maternorum & paternorum, (eadem enim hoc in passu de matre disposita) distinguendum esse arbitror, an diuisio haereditatis facta sit, an non. Priori casu retinent parentes vsumfructum illorum bonorum. Et ita ex parte intelligo textum *Pr. in lib. 1. t. 25. a. 14. §. 16. n. 8. v. Aber andere* & *in lib. 4. t. 5. a. 7. §. 4.* Nec ad diuisionem regulariter cogi possunt, nisi (1.) parentes ad secundas nuptias se conferant, quo casu diuiderententur, alias multabantur ruri degentes poena 30. *Gutter Mr. in ciuitatibus habitantes poena arbitraria. Ordin. Prouinc. de Ann. 1640. p. 21.* Et pater nobilis (de quo mox infra) amittit vsumfructum bonorum maternorum, & liberis alimentata ex propriis bonis praebere cogitur, *v. Pr. l. 4. t. 15. a. 4. §. 9. 10. & l. 5. t. 14. a. 1. §. 5.* (2.) bona liberorum deperdant, (3.) liberi maiorennes, i. e. qui compleuerunt annum 21. *Pr. l. 2. t. 6. a. 8. §. 1. diuisionem vrgeant Pr. l. 5. t. 12. a. 5. §. 1. 2. & tit. 14. a. 1. §. 5.* Posteriori casu, facta nimirum diuisione, parentes non gaudent vusufructu *Pr. l. 5. t. 14. a. 1. §. 5. 6. WEGNER in disput. de differ. iur. caes. & Pruten. th. 3. lit. a. BOLZ in diss. 4. iur. cert. & controu. §. 4. in f. Limitatur*



tur hoc in parentibus nobilium, qui in diuisione bonorum maternorum vsumfructum quodammodo lucrantur, quatenus nimirum correspondet alimentatiōi in liberos faciendae *Pr. l. 4. t. 15. a. 4. §. 2. 3. 4.* De peculio profectitio itidem pater neque Iure Prutenico tenetur. *Proc. indic. t. 25. a. 14. §. 6. n. 8.*

## §. IX.

Quod autem parentes bonorum a liberis acquirentium administratores existant, illud naturalis ratio illis concedit. Aequum quippe est, vt ille, qui sibi & suis bonis consulere nequit, ab alio regatur §. 6. I. d. *atitil. tut.* Inter omnes vero constat fragile esse & infirmum minoris aetatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum *l. 1. ff. d. Minor.* Contra quas liberi muniendi. Quis autem esset talis affectus, qui in eo vinceret paternum? *l. 7. pr. C. d. Curat. furios.* Pertinet huc tutela parentum, vid. *Spec. Saxon. lib. 1. art. XI.* quam Dd. vocant naturalem *die natürliche Vormundschaft* quando pater post mortem vxoris bona liberorum materna administrat. Circa quam prouide statuta quaedam fanciuerunt, vt parentibus administratoribus curatores adiungantur, qui oculum intendant, ne illi in administrando negligentes sint *Pr. Pr. l. 2. c. 6. a. 2. §. 5. & lib. 5. t. 17. a. 5. §. 2.* Hoc iuris ciuilis est, quod illa administratio filio; etiam si iustae aetatis sit, adimatur *l. f. §. 3. C. d. bon. qu. lib.* quod an hodie in vsu sit, ex antecedentibus diiudicandum, vbi dixi, patri multis in locis vsumfructum in bonis liberorum vsque ad legitimam illorum aetatem saltem relinqui. Simul ex dictis in-

note-



notescit, quousque filius sine consensu patris in iudicio stare queat.

## §. X.

Perperam vero a Dd. tanquam effectus P.P. venditatur, quod filius familias non possit testamentum condere. ASCAN. CLEMENT. d. P. P. c. 14. quia, etiam si pater consentiat, ut filius testamentum faciat, hoc non valet *pr. I. quib. non est perm. fac. test. l. 6. ff. de testam.* Ex eo potius solo proficiscitur, quod testamenti faciendi ius nemo habet, nisi a lege: lex autem de solo patre familias locuta est: *Paterfamilias vti super familia pecuniarum sua legas sit, ita ius esto. v. ANTON FAB. Iurid. Papin. tit. 8. illat. 4. GILKEN. in comment. ad l. 3. C. qui test. fac. n. 10.* Sed numme & hodie nemo, nisi paterfamilias testari potest? SCHVLZIVS in *Synops. I. ad tit. quibus non est permiff. fac. test.* illud negat, falso seductus fundamento, quasi hic vnus ex effectibus P.P. sit, quae hodie cesseret. Ego contendo adhuc hodie testantem patrem familias esse debere. VINN. *ad pr. I. quib. non est permiff. fac. test. NICOL. REVSN. P. I. d. test. c. 28. n. 19. seqq.* Recepta enim quoad materiam testamentariam a Germanis legislatione Romanorum hoc simul receptum, ut testamentum condere volens paterfamilias sit *l. 3. C. q. test. fac. poss. STRVV. S. I. C. ex. 32. th. 7. GODEN. Conf. 70. n. 3. conf. HARTMANN. pract. obs. l. 2. tit. 5. obseruat. 7. & miscell. l. 2. cap. 1. obs. 11.* Adstipulatur Ius Prutenicum *l. 5. t. 1. §. 5.* hoc solum adiiciens, ut testans masculus sit 18. foemina 14. completotum annorum. *C. l. §. 4. v. 1. 5. ff. q. test. fac. poss.*

§. XI.



An vero magnam utilitatem Germani foenerati sint, quod vltimum testamentorum Romanis consuetum in Remp. suam introduxerint, non vane quaeritur? Apud veteres Germanos vt in *c. l. §. 15. notauit: Haeredes successoresque sui cuique liberi, & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradu in possessione, fratres, patrui, auunculi.* Quae ratio succedendi minus litibus exposita, & naturali hominum inclinationi admodum accommodata videtur. *Liberos enim, ac propinquos suos natura carissimos esse voluit,* inquit *TACITVS.* Et propinquorum coniunctio non parum inde fortior redditur, imo, ad mutua officia pressius impellitur, quia sciunt, multum benignitatis in se collatum iri. Facit & haec ad splendorem, & conseruationem familiarum, & inter ciues opum aequalitatem seruat. *vid. ARISTOT. 5. polit. 3.* Quanta ex aduerso mala testamenta non introduxerunt. Taceo liberrimam illam Romanorum antiquorum, qualem vix alii populi habuerunt, in testamentis condendis facultatem. Ex qua infinita commoda exiisse, fraudes, captationes senum, tabularum suppositiones quilibet fateri necessum habet. Et vel ipsa varietas, & multitudo legum testamentariorum apud Romanos secuta, & restrictatandem legandi libertas per varias leges Furiam, Falcidiam &c. loquitur. Add. *CONRING. in praesat. ad Cornel. Tacit.* Nostris temporibus quam multis Rebus. liber ille supremae voluntatis stylus, quem tantopere commendat *CONSTANTINVS in l. i. C. d. S. S. eccles.* & facultas legandi etiam Catholico & venera-



nerabili concilio, nocuerit, & quantis litibus fora inuoluerit, in publicum testimonia extant. *Conf. PAVLVS VENETVS in consider. censur. Pauli V. ap. GOLDAST. tom. 3. Monarch. R. I. Omnes Pragmatici (inquit FRANCISCVS HOTTOMANNVS ap. CONRING. c. 1.) fatentur, quod materia testamentaria, sit fons, & nutritula maximae litium partis. Add. PVFEND. d. I N. & G. l. 4. c. 11. §. 18. Communis excusatio, quod testamenti factio per accidens saltem lites pariat ideo hic non apta, quia nullum negotium per se lites parit, sed semper hic in causa est malitia hominum, e.g. communitio, & tamen id pro brocardico habetur, quod communitio sit mater litium, & propterea in Remp. non debeat introduci.*

## §. XII.

Dixi filium non posse testari, etiamsi pater consentiat *v. l. 3. ff. qui testam. fac. poss.* Quod aliter se habet in donatione mortis causa. Hanc ius Patris vel impedire, vel firmare potest. *l. 7. §. 4. ff. d. donat. l. 25. §. 1. ff. d. donat. m. c.* Rationem differentiae suppeditat GILKEN. *ad c. l. 3. C. qui testam. fac. n. 32.* Moribus Germanorum antiquis quid obtinuerit, docet *Cap. 262. Spec. Suer. sup. in c. 1. §. 15.* Hodie, cum vt supra dictum, pater vsufructum in bonis liberorum saluum habeat, per donationem mortis causa a filio factam nullum ipsi praeiudicium inferri poterit, sed sua si cum effectu donare velit, patris consensum necessario habere debet. *WESENB. in comm. ff. d. m. c. donat. n. 4. Pr. R. l. 5. n. 9. a. 1. §. 5.*

## §. XIII.



## §. XIII.

Itidem ex mutuo, infcio patre contracto, filius in potestate existens nec apud Germanos cum effectu obligabatur. *Capit. 225. lib. 7. CAROLI & LUDOVICI ap. LINDENBROG. in C. LL. Antiqu. Qui filio familias contra interdicta legum infcio patre pecuniam commendavit, eam nec viuento, nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.* Legibus Romanorum hanc obligationem enervat Sctum Macedonianum l. 1. §. 1. l. 7. §. 6. l. 9. §. 2. ff. d. Sct. Maced. §. 7. I. quod cum eo qui in alien. pot. Cuius vis an hodie se exerat, considerandum. Affirmat hoc TVLDEN. in comment. ad tit. de Sct. Macedon. Cap. ult. in certis casibus, quoties creditor sciens filio in luxum pecuniam mutuo dedit, aut sub hac expressa lege, vt post mortem patris cum foenore solvatur. Negat VOLKM. HESS. in quaest. illustr. vet. ad Sctum Macedon. quia inter Christianos non est praesumendum, filios familias aere alieno grauatos i vitae parentum insidiaturos esse. Verum quamuis sententia TVLDENI de moribus Hollandiae procederet, & insidiae eiusmodi a filiis Christianis parentibus minime struerentur, non tamen propterea solum haec lex prohibens filio pecuniam mutuum dare lata est, sed & in odium foeneratorum & vt coarctentur iuueniles calores, ne filii familias cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos in bonis post expectare possent l. 9. §. pen. ff. de Sct. Macedon. l. 40. pr. ff. d. condit. indeb. v. l. f. §. 5. in f. C. de bon. quae lib. Igitur valet hodie omnino effectus & res ipsa, non tamen ex Scto Macedonia- no, sed ex lege CAROLI & LUDOVICI. Accedit,



quod multa statuta illam legem ultra pecuniam etiam ad alias res fungibiles extendant; si v. g. Mercatores merces in vestimenta sumtuosiora, item Cauponae Cupedinarii &c. filii familias esculenta & poculenta profuse subministrant. Quam in rem statuta plurimum Academiarum allegat HOP. in *comment. ad §. 7. f. quod cum eo*. Eadem in Prussia servantur *Gr. l. i. t. 25. a. 14. §. 1.*

## CAPVT. III.

OSTENDENS VSVM MO-  
DORVM CONSTITVENDI ET  
DISSOLVENDI IVS PATER-  
NVM MORIBVS GERMA-  
NORVM.

## S V M M A R I A.

- §. I. Nuptiae legitimaе consti-  
tuunt P. P. Germanorum incognitus hodie  
itaidem rarus.
- §. II. Vt & legitimatio per subse-  
quens matrimonium, non ha-  
bito respectu, an cum concu-  
bina, meretrice vel adultera  
matrimonium contractum. §. VI. Emancipatio moribus Ger-  
manorum invito patre fieri po-  
terat. Hodie rara.
- §. III. Legitimi per subsequens  
matrimonium moribus Ger-  
manorum succedunt in feudis.  
Secus in Prussia. §. VII. Separatio etiam invito pa-  
tre liberat liberos a P. P.
- §. IV. Legitimatio per rescriptum  
Principis est modus constituen-  
di ius paternum. §. VIII. Matrimonium est modus  
tollendi ius patris absque re-  
spectu filii & filiae etiam in  
Saxonia. In Prussia separatio  
bonorum accedere debet.
- §. V. Adoptionis usus moribus  
§. IX. Liberi emancipati plene  
bono suo a patre reperiunt.  
§. I. FI.



## §. I.

**F**ilium semel ductum nolui distrahere, alias ante  
 usum effectuum iuris paterni civilium agendum  
 fuisset de modis ius illud constituendi, quos, ut &  
 modos Germanis vstitatos principialiores potestatem  
 hanc dissoluendi breuibus subiicere iam praesumo.  
 Acquiritur autem patria potestas moribus Germa-  
 norum aequae ut iure Romano per iustas nuptias pr.  
*I. d. P. P. l. 3. ff. d. bis qui sunt sui vel alien. iur. v. l. 57. §.*  
*2. ff. d. R. N. c. 2. 14. X. qui filii sint legit. Specul. Saxon.*  
*l. 3. art. 27. Pr. Br. l. 2. c. 4. a. 13. §. 1. Docent hoc*  
*leges CAROLI & LVDOVICI in C. LL. antiquar. ap.*  
*Lundenbrog. lib. 7. c. 41. ibi: Non omnis mulier viro iuncta*  
*uxor est viri neque omnis filius haeres est patris. Itaque*  
*aliud est uxor, aliud concubina conf. c. 80. 127. 303. Et*  
*liberi ex legitimis nuptiis nati patris, non matris*  
*conditionem v. l. 19. ff. d. St. hom. sequuntur. Specul.*  
*Suev. c. 392. Ein teglich Kind behält seines Vaters Recht,*  
*ob es ihm ehelich bürtig ist. Et quemadmodum leges*  
*ciuiles certum tempus assignauerunt, quo de*  
*legimitate liberorum constare possit, l. 12. ff. d. Stat.*  
*Hom. ibique GOTHOFRED. l. 3. §. 11. 12. ff. d. suis & legit.*  
*haered. l. 29. pr. in f. ff. d. lib. & postb. Nov. 39. c. 2. ita nec*  
*mores Germanorum negligentes extiterunt. Specul.*  
*Suev. c. 276. Seind sie tegeu Kind, soll man ihr Zahl*  
*rechen, zum minsten ein und vierzig Wochen. Die ein*  
*Woch ist zu Genaden gesezet, der Mager ohn ein Vier-*  
*zig Wochen, die eine Jungfau gewesen ist, da man ihr*  
*den Mann gab. add. CARPZ. 4. c. 27. d. 1. Hodie*  
 F 3 coete-



coeteris paribus legitimi sunt, etiam qui I. & II. mense post nuptias nascuntur *arg. l. n. C. de natural. liber.* LAUTERB. *ad. tit. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur.* vñt parentes hoc casu obueniente non omni poena vacent. Iure Prutenico ab omni honesto conventu per quinque annos arcentur. *Pr. Cr. l. 2. t. 1. a. 2. §. 6.*

§. II.

Secundus modus constituendi ius paternum ex legibus Romanorum est legitimatio (1.) per subsequens matrimonium cum concubina contractum §. 2. *I. d. haered. quae ab intest. Nov. 89. c. 8. n. 12. §. 4. confectis instrumentis dotalibus §. ult. l. d. Nupt. l. 10. C. d. natural. lib. Speculum Suevicum c. 374.* hunc in modum: Hat aber ein Mann eine Frau zu lediglichen Dingen, und hab Kind bey ihr litzel, oder viel, und nimmet sie darnach zu rechter Ehe, was sie Kind lediglichen mit einander gehabt haben, da sie einander zu der Ehe namen, da sind sie alle rechte Ehe-Kind worden, und erben Eygen, und Lehen von Vater und Mutter, und von andern thren Frunden, als woff, als die Kind, die sie hernach gewinnen, so sie einander zur Ehe genommen han. Quia vero olim apud Germanos moris erat, vt liberi hi legitimandi coram altari tempore matrimonialis benedictionis sub pallio patris starent, aut pallium manibus tenerent, appellari consueverunt ad differentiam reliquorum: Mantel-Kinder. Hodie cum leges imperii omnem concubitum extra coniugium prohibeant *Ordin. Polit. d. A. 1577. t. 26.* parum ad hunc effectum interest, siue concubinam, siue



siue meretricem matrimonio quis sibi iungat schVLZ.  
*Synops. Instit. §. f. de nupt. lit. b.* Imo cum hodie ma-  
 trimonium cum adultera esse possit, *Spec. Sued. c. 371.*  
*n. 14. c. 6. X. de eo qui dux. vxor. CARPZ. 4. c. 20. d. 16.*  
*v. Nov. 134. c. 12. FINCKELTH. O. 25. n. 10.* adulterini  
 eo ad effectum iuris paterni etiam legitimabuntur  
*v. BESOLD. disc. de Nupt. in f. Spec. Sued. c. 372. Spec.*  
*Saxon. l. 1. a. 37.* Nec amplius ad hanc legitimatio-  
 nem nuptialia instrumenta requiruntur, sed sufficit,  
 si per benedictionem sacerdotalem de affectione ma-  
 ritali constet. *WESENB. conf. 44. n. 44.* Iure Prutenico eam-  
 dem fere statuta *l. 2. t. 3. a. 1. & tit. 5. §. 1. lib. 5. t. 12. a. 1.*  
 §. 9. nisi quod eo probatio de affectu maritali hoc in  
 casu quocunque modo fieri possit. *Vid. MEV. 2. dec. 81.*

## §. III.

Et haec legitimatio tanti ponderis est, vt inde  
 legitimati in feudis succedant per *d. cap. 374.* ibi *Cy-  
 gen und Lehen.* Quod adhuc hodie plurimis in lo-  
 cis viget, pro eaque sententia iudicauit Camera  
 Imperialis. *MYNSIG. 5. a. 42. conf. CARPZ. 3. c. 28. d.*  
*17. Obst. Cap. Naturales 2. F. 26.* ibi: *Naturales filii,  
 licet postea fiant legitimi ad successionem feudi, nec cum aliis  
 admittuntur.* Vel dicendum Longobardorum mo-  
 res a consuetudine reliquorum Germanorum diuersi  
 quid introduxisse. Feudalia enim distincta fuere in  
 Longobardica, Suevica & Saxonica illustr. *STRYK.*  
*in disc. practm. vsus mod. §. 15.* Aut asserendum capi-  
 tulum illud commode de legitimatis per Rescriptum  
 Principis explicari posse. *Vid. eund. in tr. de success. ab*  
*imst. disc. t. c. 3 §. 28.* Vel affirmandum capitulum  
 loqui de legitimatione ab ipsis naturalibus liberis post  
 mortem



mortem patris aut alias eo invito quaesita, *Conf. §. seq.* Iure Prutenico legitimati per subsequens matrimonium feudorum non sunt capaces, *Pr. l. 2. t. 3. §. 1. & lib. 7. t. 2. §. 10.*

§. IV. Secundus legitimandi modus Romanorum per oblationem curiae §. f. I. d. Nupt. §. 2. I. d. haered. quae ab intest. l. 3. 4. C. d. natur. lib. Nov. 89. c. 2. seqq. Germanis incognitus hodie non est in vsu. Magis nota legitimatio per Rescriptum Principis *Spec. Sued. cap. 374.* Gewinnet ein Mann einen Sun unehelichen, den mag der Kayser woll zu einen Ehe-Kind machen. Aber der Kayser mag ihnen das Recht nimmer geben, daß sie erben mit andern Mägen, als ob sie ihrer Mutter Lehb Ehe-Kind werent gewesen. Aber gewinnen sie Ehe-Kind die erben ihre Mäge woll, ob sie zu Ehe-Kinder sind gemacht. Hodie & Comites Palatini, quibus hoc specialiter ab Imperatore indultum, legitimare possunt. *CARPZ. 2. c. 6. d. 16.* Imo non tantum Imperator, sed status vi superioritatis territorialis hac potestate pollent, vt tamen huius legitimacionis effectus vltra illorum territoria non extendatur. de *RHET. Inst. iur. publ. l. 2. t. 9. §. 11.* Illa vero requisita, quae iure ciuili ad hanc legitimacionem adhibentur, quaeque exhibet *Novell. 89. c. 9.* omnia fere aliter hodie se habere pluribus ostendit *STRYCK. in vs. modern. ad tit. de his qui sunt sui vel.*

## §. V.

Tertius modus ius paternum acquirendi est adoptio, quae legibus Romanorum varie subdistinguitur



guitur §. 1. I. 1. 1. 1. 2. pr. ff. d. *Adopt. Colleg. Iur. Argent. ad b. tit.* Iura Germaniae non multum de adoptionibus disponunt. Glossator Speculi Saxonici textum l. 2. art. 30. de adoptione loqui putat, vt & BEN. REINH. diff. 15. n. 7. ap. Zobel. diff. iur. civ. & Saxon. p. 2. diff. 15. Sed displicet hoc SCHILTERO in exerc. ad ff. 43. §. 35. existimanti haeredis constitutionem extra testamentum ibi denotari, illumque textum explicari per constit. Car. M. l. 2. LL. Longobard. t. 16. ap. Lindebrog. in C. LL. Antiqu. ibi: *Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet haeredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege & Scabinis vel Misso Dominico, qui tunc ad iustitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.* Conf. Cap. Caroli l. 6. c. 207. Et quamuis rubrica dictae const. loquatur de adoptione abusiue tamen id fieri. Quicquid horum sit, hodie non magnum usum adoptionis esse testantur VINN. ad pr. l. d. *adopt.* LAVTERB. in *Compend. iur. tit. de adopt.* Nec apud Borussos obseruari. WEGN. de *diff. iur. Caesar. & Pruten. tb. 3. l. d.*

## §. VI.

Supereff vt paucis inquiram de modis principioribus, quibus moribus Germaniae ius paternum dissoluitur. Secundum ius naturae, regulariter liberi ex sacris paternis discedere nequeunt, nisi de alimentis sibi prospicere, & actiones suas in commodum suum dirigere possint. PRAESES in *Iprud. div. l. 3. c. 4. §. 53. seqq.* Iure Romanorum paternulo pene modo cogi poterat, quo filium, etiam matrac

G

turac



turae aetatis & iudicii, a potestate dimitteret, §. *vl. l. quib. mod. ius patr. potest. solv.* Sed volens recta via ad competentes iudices vel magistratus intrare, & filios vel filias a potestate sua liberare potest, §. *6. l. t. v. l. 5. C. d. Emancip. liber. Nov. 89. c. 1. pr.* Moribus Germanorum filius, qui vigesimum quintum aetatis annum compleuerat, patrem ad emancipationem adigere poterat. *Spec. Sued. c. 282. relatum in §. 5. cap. praeced. Et t. 316.* Ein Sun nötet seinen Vater woll mit rechte, so er fünf und zwanzig Jahr alt ist, daß er sein Gut mit ihm theilen muß. *Specul. Sax. l. 2. art. 10. Pater coram iudicio filium emancipare i. e. separare a se poterit, quantumcunque parvae res sint, quibus emancipetur, dummodo per eum fuerint acceptatae.* Exemplum emancipationis coram Camera Imperiali factae de Comite quodam adducit BOCER. *Class. 1. d. 13. tb. 29.* Interim rarissimam esse hanc emancipationem fateatur LAVTERBACH *ad tit. d. Adopt.*

## §. VII.

Magis frequentatur tacita, vt vocant, emancipatio, quando liberi separatam a paterna instituunt rerum domesticarum administrationem, & Oeconomiam v. *Nov. Leon. 25. in f.* Et haec communi Germaniae obseruantia soluit nexum paternum. HAHN *ad WESENB. tit. d. Adopt. n. 7.* Requiritur tamen iure Saxonico, vt liberi legitimam aetatem adepti sint CARPZ. *2. c. 10. d. 1. n. 6.* Quod Wurtembergensibus etiam in vsu. *Würtemb. Gr. p. 2. tit. 18. §. es mögen.* An autem patris consensus ad hanc separa-



parationem adhibendus sit, non vnanimis Docto-  
rum mens est. Si secundum mores Germanorum  
quaestio decidenda, puto quod non. Ex supra  
enim allegato *Cap. 282. & 316. Spec. Sued.* euidentissi-  
me constat filium patrem inuitum ad emancipatio-  
nem iudicialiter adstringere potuisse. MOLLER *ad*  
*Const. Saxon. 10. n. 9. CARPZ. t. def. n. 4.*

## §. VIII.

Per matrimonium quoque moribus Germano-  
rum liberi a patria potestate liberantur, VVLTEL  
*ad §. ult. I. qb. mod. ius p. p. solv. n. ult. in f. secus ac iu-*  
*re ciuili l. 20. ff. ad. L. iul. d. adult. l. 18. C. de Nupt.* Et  
hunc modum dissoluedi ius paternum apud ple-  
rosque populos inductum esse probat BERLICH. *p.*  
*2. concl. 11. n. 33. seqq.* Hincque cessat dispotio §. 3. *I. d.*  
*P. P.* quod nepos sit in potestate avi. Saxones diffe-  
rentiam constituunt inter filium & filiam. Ille per  
solas nuptias non exit e patris potestate, nisi & se-  
paratam Oeconomiam instituat. Filia vero, quam-  
uis in conuictu patris permaneat, nihilominus pa-  
triae potestati exempta est. RAVCHBAR *p. 2. qu. 18. n. 24.*  
quae distinctio an principiis Iuris Germanici conue-  
niat, dubito, defensurus, & filium iure Saxonico per  
meras nuptias a patria potestate liberari, nisi ostenda-  
tur lex in contrarium. Iure Prutenico matrimoni-  
um ius patris soluere, non dubito asserere *arg. lib.*  
*4. t. 15. a. 4. §. 3. iunct. l. 2. t. 6. a. 8. §. 2. modo liberi a*  
*conuictu patris separati sint, quod probo per lib. 1.*



*lit. 25. art. 14. §. 2.* vbi nepotes dicuntur esse in potestate avi, cuius asserti veritas vacillaret, si solae nuptiae liberos apud Borussos sui iuris facerent.

§. IX.

Quod si liberi ita egrediantur ex patris potestate, hic illis omnia illorum bona, quorum usufructu hactenus potitus, restituere tenetur, nec ut iure civili §. 2. *I. p. qu. pers. nob. acquir.* pro praemio emancipationis dimidium usufructus illorum retinere potest. *CARPZ. 2. c. 10. d. 8.* Et haec attulisse sufficiat. Plura vid. ap. *BERLICH. cit. conclus. 11. p. 2.* Caeterum facile mihi a te B. L. veniam polliceor, si minus accurate, & comte quaedam hic inserta reperies, modo cogitaueris in omnibus irreprehensibilem seu inemendabilem existere, divinae folius, non autem mortalis esse constantiae.




L  
E  
S  
DN  
SERE  
SI  
SUM  
JOH  
Eques  
TY













Halle, Diss., 1694

ULB Halle

001 508 490

3



56


WONA 1678











B.I.G.

Farbkarte #13

IANI THOMASII ICTI,  
REGIS BORUSSIAE ET ELECTORIS  
RGICI CONSILIARII INTIMI ET  
S IVRIS ORDINARII UNIVERSI-  
FRIDERIC. DIRECTORIS

A C T A T I O  
E V S V  
P A T E R N I  
I A N O R V M  
M O R E S G E R M A N I A E  
E T  
V S S I C V M R E V I S V M.



E N A E,  
CHRISTOPHORI CROEKERI,  
DCC XXXV.

186  
107/35

